

donec subseqvens Praxis solidiora commendasset.
Ac placuit tum Typographia nostra , ne peregrinus
lucrum interciperet : interim formularum & vetu-
stas & angusta paucitas Virum, apud hos eruditorum
ministros non educatum, hic in ipso cursu turbavit,
ut de successu, qvem animo proposuerat, cito nimis
desperaret: neq; tamen defuit exterorum applausus,
siqvidem Freibergenses nitidioribus suis typis ean-
dem informandi methodum repetere ac commen-
dare sunt dignati. Cæterum nunc distracta passim
exemplaria novam editionem urgebant, tanto minus
differendam , qvo gravior apud pueros vel unius an-
ni solet esse jactura. Quid facerem? nævos typog-
raphicos repetere meum non erat ; nec qvid optas-
sent Antecessores , à mortuis licebat discere : Me-
mineram tamen qvæ sæpius vel in literis, vel in ser-
monibus monuisset B. Parens , qvi utinam plura spe-
rasset, qvam optasset : accedebant manuscripta ad
rem Grammaticam pertinentia , qvæ singularem in
his studiis experientiam testabantur. Quamobrem,
qvi haætenuis Politica vel Historica pertractaveram,
qvi nunc Oratoriis & Philosophicis meditationibus
horas etiam succisivas consumo , à me impetra-
vi, ut suscepto ad infimum velut Alphabetum regres-
su, de plena libelli mutatione cogitarem. Sive enim
reqviritur Grammatices notitia, eam mihi sive libris
meis non defore augurabar ; sive ex aliis studiis judi-
candum est , qvæ regularum Grammaticarum esse
debeat mediocritas, ego sanè per varia disciplinarum
genera vagatus, talia nescire omnino haud poteram;
sive tandem exacta typorum cognitio scripturam pu-
eris reddere potest apertiorem & distinctiorem, ego
etiam per varias Chalcographorum officinas notissi-
mus, in numerato habebam omnes characterum & li-
nearum modulos. Nec inhonestum videbatur Re-
ctori, qvod parvum qvidem esset , at sine qvo ma-
gna sustineri & promoveri non possent.

Acces-